

Non autem repugnat, qui dicit, non posse hominem sine auxilio gratiæ poenitere, et pari ratione repugnat virtuti gratiæ, qui dicit hominem gratiæ præveniente, et sufficiente adjunctum, non posse poenitere: non autem repugnat, qui dicit hominem gratiæ auxilio destitutum, non posse poenitere. Atque hinc etiam declaratur sententia Concilii Lateranensis, quæ habet, semper posse hominem per veram poenitentiam reparari. Est enim sensus ex doctrina S. Thomæ, semper posse hominem, per veram poenitentiam reparari, et quia Sacramentum poenitentiae vim habet ad omnia peccata delenda, et quia potest homo gratiæ Dei adjunctus semper veram poenitentiam agere. At ex his non sequitur, auxilium gratiæ omnibus momentis cuius peccatori semper adesse. Quod etiam non sequi ex eodem S. Thomæ probari potest, qui in II. 2. q. II. art. 5. ad primum dicit, hominem non posse sine auxilio gratiæ credere, et diligere: Hoc autem auxilium quibus datur, ex misericordia dari, quibus non datur, ex iustitia non dari in poenam peccatorum præcedentium. Itaque admittit S. Thomas auxilium necessarium aliquando non dari.

Lib. IV. cap. 11. §. *Secundo efficienter*. Ubi diximus, a S. Thomæ notari in q. XXII. de verit. art. 8. duos modos quibus potest Deus inclinare voluntatem ad operandum, unum, efficienter et physice, immediate illam movendo, et determinando ad unum: alterum efficienter quidem, sed mediante aliqua forma, quam imprimit in voluntate. Non volumus significare, Deum ex mente Sancti Thomæ reipsa uti illo primo modo, cum movet homines per gratiam efficacem. Existimamus enim Deum posse quidem ut illo primo modo, si velit, sed tunc tolli omnino libertatem arbitrii, ac per hoc non putamus Deum uti de facto illo primo modo, neque absolute, neque ex mente S. Thomæ, ut probamus in hoc eodem libro cap. 14. Itaque hoc loco non diximus quid reipsa faciat Deus, sed quid facere possit, si velit. Sed quia S. Thomas dum explicat primum modum, non utitur illis verbis, quibus nos usum, videlicet efficienter, et physice immediate determinando; sed solum dicit Deum operari in ipsa voluntate, movendo illam sine appositione ullius formæ: Verisimile est, S. Thomæ per priorem modum non intellexisse solam physicam determinationem, sed in genere locutum esse de mo-

tionem Dei, sine appositione formæ, ita ut comprehendat tum physicam determinationem, quæ necessitat, licet non cogat, tum motionem moralem, quæ neque cogit, neque necessitat. Nam in explicatione posterioris modi, qui est per appositionem formæ, explicat: Deum hoc facere aliquando necessitando, ut cum apponit formam perfectam, qualis est charitas Beatorum; aliquando non necessitando, ut cum apponit formam imperfectam, qualis est charitas viatorum.

Eodem libro, et capite, §. *Quarto objective*. Ubi diximus, Deum aliquando movere voluntatem objective, et efficaciter, sed ita ut efficacia proveniat non tam ex vehementia persuasionis, quam ex dispositione voluntatis, quam Deus prævidet. Non sumus locuti de efficacia gratiæ, sed de efficaci motione ad actiones civiles, sive indifferentes, de quibus tantum eo loco disputabatur. Nam cum agitur de actibus supernaturalibus ad gratiam pertinentibus, non dubitamus, efficaciam ipsius gratiæ actionem esse tribuendum: et cum dicimus Deum ita vocare, ut videt, voluntatem esse aptam ad sequendum, non volumus significare, voluntatem aptam esse ad sequendum solis suis viribus, sed preparatam et adjunctam a gratia.

Cap. 14. §. S. Thomæ. Attulimus aliqua loca S. Thomæ in quibus videtur nobis satis aperte indicasse sententiam suam de concursu Dei cum libero arbitrio. Sed possumus addere sequentia loca, adhuc fortasse clara. Quodlibeto primo art. 7. ad 2. «Deus, inquit, movet omnia secundum modum eorum, et ideo divina motio a quibusdam participatur cum necessitate, et natura autem rationali cum libertate, propter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita. Et ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere.» Idem in II. sent. dist. 25. art. 1. ad 3. «In libro arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi illi ministret, et illo operante liberum arbitrium agat, sed tamen determinatio actionis, et finis in potestate liberi arbitrii constituitur.» Accedunt ad hæc principia quedam, quasi propria S. Thomæ, cum quibus doctrina de prædeterminatione non videtur posse consistere. Certe S. Thomas in prima p. q. LXIII. art. 5. et alibi constanter docet, primum actum voluntatis tribuendum esse Deo, reliquos autem ipsi voluntati. Cujus differentia non est causa, quod ad primum actum voluntas habeat se mere

passive, vel quod fiat sine iudicio rationis; sed solum quod ad illum prædeterminetur à Deo. Igitur in aliis actibus non prædeterminatur. Alioquin non esset discrimen inter primum, et sequentes.

Deinde idem S. Thomas in I. p. q. XIV. art. 13. magno labore inquiri, unde Deus noverit futura contingentia, et recurrit ad coexistentiam omnium temporum cum aeternitate, atque addit, in causis suis futura contingentia non posse cognosci, quia causæ contingentium sunt indeterminatæ, et ad opposita se habent. At si Deus prædeterminaret omnes causas, etiam liberas, certe in illis futura contingentia facile cognosceret.

Ad hæc idem S. Doctor q. VI. de veritate, art. 3. in corpore, certitudinem prædestinationis declarat exemplo conservationis speciei per multiplicationem individuorum. Liberum enim arbitrium deficere potest, et exidere a salute: Deus tamen in iis, quos prædestinavit, tot adminicula præparat, ut vel prædestinati non cadant, vel si cadunt omnino resurgant. At profecto si Deus prædeterminaret voluntates ad singulos actus, non esset opus tot adminiculis. Ex ipsa enim prædeterminatione infallibilis esset, et certissima prædestinatio. Denique idem auctor in q. XXIV. de verit. art. 9. scribit, confirmatos in gratia non habere ex solo intrinseco dono, ut nunquam peccent mortaliter, sed ex variis adminiculis, et continua Dei custodia. At si prædeterminatio admitteretur, illa sola pro adminiculis omnibus plane sufficeret.

Lib. V. cap. 27. §. *Deinde nos egemus*. Dixi, Adamum non eguisse auxilio speciali ad superandas tentationes, sed potuisse tentationes omnes liberi arbitrii viribus superare. Rectius dixissem Adamum in statu innocentia non eguisse auxilio speciali ad superandas tentationes; quia carnis rebellio, et concupiscentia in eo non erant. Nam de tentationibus agitur eo loco, quæ ex concupiscentia oriuntur.

Lib. VI. cap. 7. §. *Nos igitur*. Quod scripsi, nullam dilectionem Dei neque perfectam, neque imperfectam haberi posse sine auxilio speciali Dei, intelligo de vera dilectione, quæ sit pius erga Deum affectus, et initium veræ conversionis. Alioquin enim dubitari non potest, quin homo queat propriis viribus elicere quosdam actus, qui videri poterunt actus dilectionis. Sed erunt potius velleitates, quam voluntates, et imagines dilectionis, quam veræ dilectionis actus; quales sunt

cum iis, qui in peccatis lætalibus perseverantes aliquando dicunt: Volo Deum super omnia diligere; vel cum hæretici Deum se amare jactant, et forte in oratione lacrymas fundunt, cum tamen sine fide, quæ hæretici carent, vera dilectio Dei esse non possit. Atque hinc fortasse Concilium Tridentinum, sess. VI. can. 3. cum docet, non posse hominem sine auxilio gratiæ credere, sperare, diligere, addit, *sicut oportet*, et Theologi docent, unam ex causis, cur non possimus certitudinem habere de nostra iustitia, esse similitudinem actuum naturalium et supernaturalium, vide S. Thomam.

Denique S. Gregorius hom. 30. in Evangelia, scribit, nullum fere esse, qui interrogatus, an diligat Deum, non respondeat «diligō.» Et tamen multi falluntur, cum I. Joan. IV. scriptum sit: *Si quis dixerit, quoniam diligō Deum, et fratrem suum oderit, mendax est.*

Eodem libro cap. 13. §. *Octava sententia*. Ubi dicimus, gratiam excitantem efficacem non tollere arbitrii libertatem, quia nihil est aliud, nisi suasio, quæ non determinat voluntatem, sed inclinatur per modum proponentis objectum: non excludimus actionem Dei immediate in voluntatem, nam in eodem cap. §. *Ad quartum*, paulo ante habentur hæc verba: «Respondeo, ad gratiam excitantem pertinere, ut proponat objectum aliquod congruum menti, per quod homo persuaderi possit; et præterea excitet mentem ad illud considerandum, et ut moveat voluntatem, eamque inclinet ad illud acceptandum.» Quo loco per motionem voluntatis, et inclinationem ad objectum acceptandum, intelligimus complacentiam, sive affectionem erga illud, quam Deus immediate, et latenter miro modo infundit per actionem vere efficientem, ut alibi diximus. Hoc igitur loco brevissime indicavimus, quæ paulo ante pluribus verbis docueramus, et cum diximus, *nihil est aliud nisi suasio*, intelligi debet, cum aliis quæ ad persuadendum infallibiliter requiruntur.

RECOGNITIO LIBRORUM

Quinque de Justificatione.

Lib. I. cap. 17. §. *Alterum argumentum*. Dixi, fidem esse causam formalem inchoa-

tam justificationis. Quod ex eo colligitur, quia Concilium Tridentinum, et Patres citati dicunt, fidem esse initium, et fundamentum justificationis. Sed hoc loco attente considerandum est, longe aliter fidem esse initium justificationis, ac justitiam imperfectam, et inchoatam: quam S. Augustinus lib. de natura et gratia, cap. ult. dicit, charitatem imperfectam, et inchoatam, esse imperfectam, inchoatamque justitiam: Charitas enim vere, et absolute formalis justitia est, et ideo qui vel unum gradum veræ charitatis habet, absolute justus est, et vivit vita gratiæ. At fides ita inchoata, et imperfecta justitia est, ut neque ipsa possit absolute dici justitia, neque qui habet omnem fidem, ut etiam montes transferat, si charitatem non habeat, justus dicatur, aut vivis: *Qui enim non diligit, manet in morte* (1). Itaque imperfecta charitas, imperfecta justitia est, quomodo puer est homo imperfectus, qui tamen vere, absolute, et simpliciter est homo. Fides autem est imperfecta justitia, quomodo embrio nondum animatus est homo inchoatus, et imperfectus, qui absolute, et simpliciter non est homo. Quia similitudine utitur S. Augustinus lib. I. ad Simplic. q. 2. Item charitas imperfecta, est imperfecta justitia, quomodo domus ex fundamento, parietibus, et tecto constans imperfecta dicitur, si desit aliqua vel fenestra, vel aula, cum absolute, et simpliciter domus sit: At fides, inchoata justitia quomodo fundamentum sine parietibus, et tecto inchoata domus est, sed simpliciter domus non est. Fides igitur proprie, et simpliciter justificat per modum dispositionis; ormaliter autem simpliciter et absolute non justificat, ut probamus in libro sequenti, cap. 4.

Lib. III. cap. 9. Propositum est argumentum pro certitudine gratiæ ex verbis Domini: *Cum feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus* (2). Videtur enim ex his verbis colligi, posse hominem agnoscere, et secure affirmare, se fecisse omnia, quæ debuit facere, ac per hoc, se implevisse omnia mandata, et ideo justum esse, quia factores legis justificabuntur. Ad hoc argumentum respondimus quidem, sed dum brevitate studuimus, obscuritatem vitare non potuimus. Addendum igitur est, verba illa, *quod debuimus facere fecimus*, non significare, implevi-

mus omnia Dei mandata; sed quod fecimus, si quid fecimus, ex debito fecimus, quia facere tenebamur, et ideo servi inutiles sumus, quia nihil fecimus amplius quam deberemus. Ideo enim Dominus non dixit, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, fecimus omnia, quæ præcepisti nobis, sed *quod debuimus facere, fecimus*, id est, si quid fecimus, non debetur nobis magna laus, quia debuimus facere. Quod etiam aperte colligitur ex parabola præcedenti, ex qua hæc dominica admonitio processit. Ait enim Dominus: *Quis vestrum habens servum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe; et non dicat ei: «para quod cenem, et præcinge te, et ministra mihi, donec manducem, et bibam, et post hæc tu manducabis, et bibes? numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quod ei imperaverat? Non puto; sic et vos cum feceritis omnia, etc.* (3) Itaque non colligitur ex his verbis, hominem justum posse, aut debere secure, affirmare se mandata omnia implevisse: sed agnoscere conditionem suam servilem, sequere facere debuisse quod fecit, graviter puniendum nisi fecisset. Huc respexisse videtur S. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem adversus Pelagianos cum ait: «Hæc hominibus sola perfectio, si imperfectos esse se noverint. Et vos, inquit, cum feceritis omnia, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.» Hinc etiam S. Cyprianus lib. III. ad Quirinum, scribit, verba Domini, *cum feceritis omnia, etc.* dicta esse ad docendum, quod nemo ex opere suo extolli debeat (4).

Et S. Bernardus in Psalmum: *Qui habitat.* «Quod debuimus, inquit, facere, fecimus; vœ enim nobis si non fecissemus. Hæc est utique magna virtus et summa securitas, quando et pie vivis, et tamen plus attendis, quæ desunt tibi, quam quæ obtinuisse videris (5).» Quomodo autem ex his verbis non colligatur, mandatorum observationem non mereri ex condigno mercedem, explicatur infra suo loco. Sed interim dicimus, ex parabola præmissa satis aperte colligi, non agi hoc loco de mercede debita operi, sed de gratia, et dono, quod debetur beneficio præcedenti. Sic enim loquitur Dominus de servo faciente quod debuit, «Numquid gratiam habet servo illi, qui fecit quod ei imperavit? non puto.» Non ait Dominus,

(1) I. Jean. III. 14. — (2) Luc. XVII. 10. — (3) Luc. XVII. 7. — (4) Lib. III. Cap. 51. — (5) Serm. IV

nō redderet ei debitam mercedem pro labore, sed non habebit illi gratiam, quasi ab eo beneficium accepisset. Sic etiam dicitur Luc. VI. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quod vobis est gratia* (1)? Et tamen diligere amicos, qui nos diligunt, virtus est, et digna mercede, sed non est aliquid eximium, pro quo gratiæ habendæ sint, et beneficia rependenda. Sic etiam loquitur B. Paulus I. Cor. IX. *Nam et si evangelizavero, non est mihi gloria. Necessitas enim mihi incumbit* (2). Ubi non negat sibi deberi mercedem pro labore evangelizandi, sed negat sibi deberi aliquid pecuniare, et egregium pro opere supererogationis, quale sibi debebatur ex eo quod sine sumptibus, ut ipse loquitur, poneret Evangelium, id est, sumptus necessarios non acciperet a populis, quibus Evangelium prædicabat. Sic denique intellexit S. Ambrosius in libro de Viduis, ubi cum posuisset verba illa Domini: *Dicite servi inutiles sumus*, addit: «Hoc Virgo non dicit, hoc non dicit ille, qui bona sua vendidit, sed quasi reposita expectat præmia, sicut S. Apostolus ait: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Non enim quasi inutilis servus quod debuit facere, fecisse se dicit, sed quasi utilis Domino, etc.»

RECOGNITIO LIBRORUM TRIUM

De bonis operibus, id est, oratione, jejuniis, et elemosyna.

Nihil occurrit notandum in his libris.

RECOGNITIO OPUSCULI

De Translatione Imperii.

Lib. I. cap. 7. §. 4. Dixi, Mosem, Aaronem, Saulem, Davidem, et Petrum singulari Dei vocatione Principatum, vel Ecclesiasticum, vel Politicum accepisse. Id quidem verum est, sed non eodem modo per omnia accipiendum. Moses enim, et Petrus immediate a Deo sine ulla hominum electione, vel consecratione, vel requisito consensu,

Principatum adepti sunt. Aaron a Deo quidem vocatus, sed a Mose consecratus fuit. Saul, et David a Deo designati Reges fuerunt, sed a Populis facti dicuntur in libro I. Regum c. II. et lib. II. Reg. c. II. et v. de qua re plura scripsimus in Recognitione libri de Laicis, qui est tertius de membris Ecclesiæ.

Eodem lib. I. cap. 13. §. *Multa sunt hoc loco.* Admisi tanquam legitimos canones, qui habentur apud Gratianum dist. 63, can. *Adrianus*, et can. *In Synodo*. Sed postea animadverti, canones illos esse vel falsos vel certe dubiæ fidei, ut etiam admonui in recognitione libri secundi de summo Pontifice c. 29. et libro de Clericis cap. 9 et cap. 16. quia non nituntur auctoritate ulla, nisi Sigheberti, qui suspectus haberi potest ob nimiam propensionem erga Imperatores, qui suo tempore cum Romanis Pontificibus de investituris Episcoporum contendebant. Neque responderi potest, hos duos canones nihil etiam auctoritate Ivonis Carnotensis, qui Sigheberto antiquior fuit, extant enim in Panormia, sive Panomia, ut rectius scribi deberet, Ivonis lib. VIII. cap. 135. et 136. Hoc, inquam, responderi non potest, quoniam auctor Panormiæ Ivonis non fuit Ivo, sed alius recentior, qui canones collegit magna ex parte ex Ivone, sed addidit etiam aliquos ex decretis, quæ facta sunt post obitum Ivonis. Itaque vocatur Panormia Ivonis, quia est quasi compendium Decreti Ivonis, non quod auctor compendii fuerit Ivo. Quod enim auctor Panormiæ fuerit Ivone posterior, colligitur ex libro octavo, ubi ponuntur multa Decreta Innocentii II, qui sedit post obitum Ivonis: Vide lib. VIII. cap. 141. 142. 143. 149. 152. quemadmodum igitur in Panormia inveniuntur canones Innocentii II, qui fuit Ivone posterior, ita potest fieri ut canones illi duo, *Adrianus*, et *In Synodo*, desumpti sint ex auctore qui vixit post Ivonem. Certe canones isti in Decreto Ivonis, cujus Panormiæ dicitur esse compendium, nullo loco inveniuntur.

Lib. III. cap. 2. Dixi, Electores Imperii constitutos fuisse a Gregorio V. Sed Decretum ejus Pontificis fuisse quidem continuo executione mandatum; quatenus constituebat, ut Rex eligeretur a Principibus Imperii, sed non fuisse nisi post ducentos annos, et amplius usu receptum quo ad restrictionem


(1) Luc. VI. 32. — (2) I. Cor. IX. 16.

ad numerum septenarium. Sed postea Cardinalis Baronius, cui multum omnino Ecclesia debet ob immensos labores, quos pertulit, toto fere vitæ suæ tempore, in historia Ecclesiastica undique colligenda et litteris commendanda, invenit librum cujusdam Matthæi Parisiensis Monachi S. Albani in Anglia, qui Anglicanam historiam scripsit ab anno Domini MLXVI usque ad annum MCCL, atque ex eo auctore haberi scripsit ab Innocentio IV, in Concilio Lugdunensi Generali, quod celebratum est anno Domini MCCXLV, restrictum fuisse numerum Electorum Imperialium ad septem; videlicet, ad Ducem Austriae, Ducem Bavariae, Ducem Saxoniae, Ducem Brabantiae, Archiepiscopum Coloniensem, Archiepiscopum Moguntinum, et Archiepiscopum Salsburgensem. Sed videtur omnino vel in eodem Concilio, vel paulo post in locum Salsburgensis sub-

stitutus fuisse Archiepiscopus Trevirensis, et in locum Ducum Austriae, Bavariae, et Brabantiae, substituti, Rex Bohemiae, Marchio Brandeburgensis, et Comes Palatinus Rheni: Hos enim septem nominant Martinus Polonus, qui fuit Penitentiarius ejusdem Innocentii IV Pontificis, S. Thomas, Augustinus Triumphus, et Henricus Ostiensis, qui eodem fere tempore floruerunt, et omnes alii posteriores. Et quamvis nemo historicus tradat, quis auctor fuerit, ut illa mutatio, et substitutio fieret: tamen certum omnino haberi debet, factam esse vel ab eodem Innocentio, vel ab aliquo ejus successore. Non enim Decretum summi Pontificis Innocentii in Concilio generali factum, ullus Pontifice maximo inferior mutare ausus fuisset, vel jure potuisset.

In aliis opusculis nihil notandum occurrat, sicut nec in libris lingua Italica scriptis.

FINIS



OPERUM

ROBERTI BELLARMINI

PARS PRIMA

DE CONTROVERSIIS FIDEI

BEATISSIMO SANCTISSIMOQUE PATRI

SIXTO QUINTO

PONT. MAX.

ROBERTUS BELLARMINUS

Vere omnino ac sapienter, Beatissime Pater, scriptum reliquit S. Hieronymus (1), neminem esse tam impium, quem hæreticus impietate non vincat. Nam cum fides spiritualis totius ædificii, atque omnium cælestium beneficiorum fundamentum et origo sit: qui fidem tollere de Ecclesia moliuntur, quod hæretici faciunt, omnia Ecclesiæ bona simul corrumpere, atque ipsam Ecclesiam funditus evertere moliuntur. Quare S. Joannes, et eum secuti multi veteres Patres (2), ut uno verbo exprimerent innumerabiles clades, atque horribilem vastitatem, quam et Ecclesiæ, et Reipublicæ hæretici adferunt, Antichristi nomine eos appellandos esse censerunt. Nulla enim inter omnes Ecclesiæ persecutiones atrocior, nulla gravior futura est ea, quam Antichristus in ipso mundi interitu excitabit. Itaque majores nostri etsi in persecutionibus omnibus, contra portas inferorum, rem fortiter gererent, cum tamen causa fidei agebatur, ita animis omnes commovebantur, ut non sibi satisfacerent, nisi universas Ecclesiæ vires colligerent, ac, tanquam communi classico evocati, omnes una ad resistendum occurrerent. Alios hostes ut ab Ecclesiæ finibus submoverent, nemo custodiam gregis sibi crediti deserebat: hæresim ut propulsarent, relictis gregibus, altaribus, sedibus, longe positas regiones, non sine magno et sumptu, et periculo, adire non dubitabant. Neque vero Episcopi tantum in Conciliis congregati, quasi instructa acie, adversus hæreses depugnabant; sed et ante Episcopos ceteros, summi ipsi Pontifices, ex celsissima specula, atque arce religionis primi signum dabant, primi fulmina anathematum in adversarios jaculabantur; et post Episcopos, Imperatores edictis, legibus,

(1) Lib. VI. in Isai.—(2) I. Joan. II. et IV. Cyprianus Lib. IV. Epist. 7.; Hilar. *Contra Auxent.* Augustin. Lib. II. *Contra advers. leg. et proph.* Cap. II.

mulectis pie in hæreticos sæviebant; una autem omnium ordinum et nationum Doctores, et litteris et sermonibus, tanquam ad commune restinguendum incendium, accurrebant.

Quod si, priscis illis temporibus, unus aliquis error totum Christianum orbem usque adeo commovebat, ut aliquando, summo Pontifice convocante, sexcenti et eo amplius Episcopi ex remotissimis provinciis in una, ut ita dicam, castra momento temporis convenirent: quo tandem animo nos esse oporteret, qui non uno aliquo errore, sed ipsa hæresum coluvione appetimur et exercemur; nec de uno vel altero capite fidei, sed de tota prolemodum religionis summa, cum Ecclesiæ hostibus dimicamus? Et tu quidem, Sixte V, Pontifex beatissime, in hoc spirituali prælio, operam atque industriam tuam Ecclesiæ Catholicæ ita probasti, ut, hac maxime de causa, in hæc periculosissima tempora a divina providentia reservatus, et in summum spiritualis militiæ ducem lectus fuisse videare. Multarum quidem in te virtutum splendor elucebat, quæ te summo sacerdotio dignissimum ostenderent; integritas morum ex singulari indole tua, et religiosa vitæ institutio, quod in clarissima B. Francisci familia suscepisti puer, adolescens pie coluisti, illustrasti Doctor insignis, Generalis autem Minister in pristinum decus et candorem revocare conatus es: Prudentia singularis, qua ibi facem præferente, in Quæsitore officio, in supremo religiosi ordinis magistratu, in Episcopali functione, in amplissimo et sacrosancto Cardinalium Collegio, inoffenso semper pede, cucurristi: Celsitudo animi, robur mentis, constantia summo Principe digna, quam nihil unquam a recto, nihil a legum severitate deflexit; quæ etsi nunc cum summa potestate conjuncta in improborum comprimens audacia cernitur maxime; non eam tamen Pontificatus peperit, sed ostendit.

Hæc et alia id genus multa, gradum tibi ad summam dignitatem opinione omnium faciebant: sed inter tot clarissimas virtutes illa te, præter ceteras, Deo Ecclesiæ suæ prospiciente, ad fastigium istud evexit, quæ est, hoc tempore, summo Sacerdoti præcipue necessaria, ardor videlicet ac studium hæreticæ pestis ab Ecclesia avertendæ, quod quidem jam dudum in te spiritus Domini, et sacrarum litterarum scientia excitavit; acuit deinde Quæsitore munus fortiter administratum; incenderunt tandem Pii V, Pontificis vere pii exempla, qui te, ut sacrilegis impiorum hominum sectis infestissimum, simul inter Illustrissimos Romanæ Ecclesiæ Patres ac Principes cooptavit, et Ecclesiæ universæ ad hæreses horum temporum profligandas, Ducem præstantissimum præparavit, cujus quidem sapientissimi, sanctissimi que viri iudicium continuo Pontificatus tui primordia comprobant. Sub ipsum enim tui Apostolatus initium cum actionum tuarum cursum instituisi facile ut omnes intelligant, quid in omne reliquum tempus a tua ista magnitudine animi sperandum Catholicis, quid hæreticis pertimescendum.

Ego vero, ut ad me ipse nunc veniam, qualicumque Ecclesiæ Catholicæ filius, piæ matri tam graviter laboranti, accedente præsertim Superiorum meorum imperio, opem, quam potui, tuli. Et cum annos jam quindecim in controversiis fidei explicandis posuerim, partim Lovanii, in florentissima totius Germaniæ Academia, partim Romæ, ad eos juvenes instituendos, quos e Transalpinis regionibus Apostolica benignitas evocarat: ea quæ docendo disseveram, aliquando typis mandarem, atque in lucem ederem, eorumdem me

superiorum meorum compulsi auctoritas. Quæ porro disputationes, in cujus potissimum nomine apparere deberent, non fuit mihi magnopere cogitandum, sive enim in libros, qui hoc volumine continentur, sive in rationes dedicandi hujuscemodi laboris, mentem animumque converterem, solæ occurrebat Sanctitas tua, quæ omnibus aliis summo jure anteponenda videretur; ut non quaerendus fuerit qui legeretur, sed legendus qui emereret. Libri qui offerendi erant, quod fidei Controversias ex veræ Theologiæ principiis explicent, nulli sane justius debebantur, quam tibi, qui et summus Theologus es, et unus Controversiarum omnium iudex, ab ipso Deo singulari providentia constitutus.

Quod si, in operum nuncupatione, ejus potissimum ratio haberi solet, qui possit, et velit oblatum sibi munus, vel patrocinio defendere, vel splendore nominis illustrare, nullius certe ratio mihi potius habenda fuit, quam tui, qui et ea es potestate, qua proxime accedis ad Deum, eaque benignitate, qua (ut communis omnium parens) concedis hominum nemini, et a quo patrocinium ac tutelam opus hoc nostrum jure suo postulare videbatur, quod enim hoc seculo inter tam multas hæreses, quibus Catholica oppugnatur fides, nulla sit longius latiusque diffusa atque propagata, nulla infestior ea, quæ summum istum Pontificatum labefactare contendit; ut non jam alio nomine Catholici, ab hæreticis, quam Papistæ vocitemur; quasi sola sit inter nos et illos de Papatu contentio: ea causa fuit, cur in nostro opere nulla disputatio esset diligentius copiosiusque tractanda, nulla major, nulla instructor ea, qua summi Pontificatus institutio et auctoritas asseritur atque defenditur. Quare non immerito patrocinium Apostolicæ sedis libri illi vicissim flagitare videntur, qui in ejusdem sedis auctoritate tuenda, atque ab hæreticorum morsibus et calumniis vindicanda, potissimum consumuntur. Postremo, si librorum dedicationes testimonia esse solent animi grati, ac memoris acceptorum a magno aliquo Principe beneficiorum, non poterat ullo modo Societatis Jesu alumnus quemquam tuæ Beatitudini in hoc officii genere anteferre, quidquid enim a nobis prodit, id suo sibi jure deposcit amplissima sedis Apostolicæ in universam ordinis mei Societatem beneficentia, quam tu, Parens optime Sixte, facis in dies cumulatorem. Vixdum enim inito Pontificatu, Sodalitas nostra a te non humanissimis modo accepta verbis, ac bene sperare jussa, sed paulo post ubi se primum obtulit occasio, ea beneficia consecuta est, ut et re in præsens accepta gaudeat, et spem etiam præcipere possit rerum ampliorum in futurum.

Accipe igitur, Beatissime Pater, munusculum tibi multis nominibus debitum, ac de nostra Sodalitate, exigua illa quidem, sed tibi addictissima, deque universa Christiana Republica, ut hactenus fecisti, bene mereri perge, nostræ videlicet partes erunt, assidue Deum precari, ut Sanctitatem tuam universo orbi Christiano conservet incolumem, tumque istum Pontificatum maxime diuturnum, et, quod nomini tuo respondeat, consiliorum ac rerum tuarum cursum jubeat esse felicem.

AD LECTOREM

Tres omnino, Christiane Lector, me causæ impulerunt, ut has qualescumque disputationes meas in lucem prodire sinerem. Illa prima me ratio movit, quod non solum non obesse, sed etiam prodesse censeam Ecclesiasticæ causæ, si plurimi hoc tempore scribant. Sancti Augustini sententia est, (1) et nota multis, et digna quæ ab omnibus cognoscatur, optandum esse, ubi hæreses vigent, ut quicumque aliqua scribendi facultate præditi sunt, ii scribant omnes, etsi non modo de rebus iisdem scripturi sint, sed eadem etiam aliis verbis fortasse scripturi. Expedit enim ut hæretici intelligant, in castris Catholicorum non unum, aut alterum esse, sed multos, qui cum eis adversa fronte congredi audeant. Illud præterea ex multorum scripture commodum accedit, quod brevius, et facilius libri ipsi Catholici ad manus omnium deferuntur, et, cum alii in alios incidant, omnes tamen armis iisdem in communi periculo instruuntur. Quam sententiam hominis prudentissimi, atque doctissimi, et veterum Patrum exempla, et experimenta quotidiana confirmant. Ariana hæresi quondam grassante, scripserunt accurate, et copiose, tum Græci, tum Latini propemodum infiniti: Athanasius, Basilius, Epiphanius, Didimus, uterque Gregorius, uterque Cyrillus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Gregorius Beticus, Idacius Clarus, Phœgadius, Fulgentius, et alii. Ita vero conveniunt inter se, et quasi conspirant, sive testimonia Scripturæ pro Catholica fide adducant, sive ad hæreticorum argumenta respondeant, ut eadem omnes repetere, atque inculcare, et omnes etiam ab uno aliquo accepisse videantur. Neque id illis vitio verti solet, aut potest. Nam quod multi scriberent, causa erat ardor fidei, et zelus religionis, quem in eorum pectoribus Spiritus Sanctus accenderat; quod eadem scriberent, inde fiebat, quod antidotum veneni ejusdem ex eodem spiritu hauserant et ex iisdem præidiis, adversus hostes eosdem, de possessione eadem, eodem auctore, ac duce Deo pugnabant.

(1) I. Trin. Cap. III. Contra mendacium, Cap. VI.

Quod si veteres illi tanto ardore tum ipsi scribebant, tum alios ad scribendum provocabant, cum una, vel altera hæresi orbis terræ laboraret; et inter hæreticos non admodum multi scriberent; et nondum ars Typographica excogitata esset, quæ ex uno volumine librorum examina pene momento extrudit; quid hoc nostro sæculo fieri par esset, quo et innumerabiles hæreses Ecclesiam undique lacerant, et rari sunt apud adversarios, qui non aliquid scribant, quorum libri non jam, ut cancer serpunt, sed veluti agmina locustarum volitant: et denique certum est atque exploratum, non modo multis hominibus hæretica scripta quotidie pestem adferre, sed, totis aliquando provinciis perniciem attulisse? Hæc igitur causa fuit, cur has disputationes typis mandari palerem; alioqui enim ab ea re non mediocriter abhorrebam. Sed altera me ratio vehementius incitavit.

Ediderunt hac ætate præclara volumina, omnium ordinum et nationum scriptores, et communis fidei causam adversus communes hostes, conspirantibus animis, egregie propugnarent. Et quoniam alius aliud argumentum explicandum suscepit, atque in eo quam accuratissime pertractando totis viribus laboravit; extant hodie de singulis ferme controversiarum capitibus variorum auctorum plurimæ, cæque doctissimæ, et (quod necesse erat) longissimæ disputationes. Sed non multi tanta librorum copia, tantoque otio abundant, ut ex tam variis et prolizis disputationibus controversias omnes brevi tempore cognoscere, et ea præsidia atque arma facile sibi comparare possint, quibus ad omnes partes fidei pro virili tuendas egent, qui apud Germanos, Gallos, Britannos, Polonos, Bohemos, Pannonos, Illyricos, Helvetios, aliasque nationes hæresi laborantes, pastorum ac doctorum munere fungi debent. Quapropter post insignium virorum doctissimos labores, id etiam desiderari videbatur, ut controversiæ omnes in unum quasi corpus redigerentur, certaque ratione et via ita proponerentur, et explicarentur, ut parvo tempore, facili sumptu, nec magno labore, ex uno armamentario, qui vellent, arma peterent, quibus utcumque saltem instructi, sine magno suo periculo adversus hostes in acie starent. Quod quidem ego non mea sane sponte, sed Superiorum meorum jussu efficere conatus sum; an perfecerim, aliorum erit iudicium. Cæterum, quia genus ipsum scriptionis utilissimum videbatur, disputationes hasce in lucem dedimus, ut iis utantur qui volent, donec aliquid plenius et elaboratius ab alio aliquo, qui magis abundet et otio et ingenio, in eodem genere prodeat.

Tertia restat causa, quæ me non incitavit modo, sed plane etiam, ut initio dicebam, impulit, et coegit, ut hosce labores posteritati mandarem. Cum beate memoriæ Gregorius XIII. Pontifex Maximus, Germanicæ atque Anglicæ nationis adjuvande studio, Germanorum Anglorumque adolescentium amplissima duo Collegia in Urbe

Roma, id est, in ipsa arce religionis, instituisset; ea mihi provincia demandata est, ut eorum Collegiorum alumnis controversias fidei, quam diligentissime et planissime fieri poterat, nostro in Gymnasio explicarem; et quasi novos Ecclesie milites, in suis ipsorum provinciis cum inferorum copiis congressuros, pro mea tenuitate armarem. Ea igitur oblata occasione rem aggressus, eam disputandi rationem inivi, ut controversias fidei omnes complecterer, ac partim eas in sua membra tribuerem, partim cum aliis jungerem, et copularem, ut alia aliam sereret, et alia penderet, et nasceretur ex alia, et ex omnibus unum doctrinæ corpus integrum, et perfectum, suisque numeris absolutum existeret. Quæ nostræ disputationes ab auditoribus primum in Gymnasio inter docendum exceptæ, deinde a multis iterum, atque iterum non sine magno vel labore, vel sumptu descriptæ, atque ad varia loca delatæ, tanta contentione ad prælum cæpta sunt postulari, ut etiam aliqui minarentur se typis eas nobis invitis, ac repugnantibus mandaturos. Quare coactus sum, opus adhuc rude, et impoliturum (neque enim quotidiano docendi munere impeditus, extremam illi manum imponere potui) ipse emittere, ne magno meo cum dolore disputationes in scholis exceptas, laceras videlicet, ac mutilas, et mendis undique refertas, typis excusas cernerem.

Tu velim, optime Lector, si quid erit in his commentariis, quod ad Dei gloriam et Ecclesie Catholice utilitatem tibi usui esse possit, eo utare, et uni bonorum auctori Deo, non mihi, gratias agas: si quid vero inter legendum occurrerit, quod sæpe fiet, aut nimis breve, aut parum æquabile, aut minus proprie, et eleganter dictum: illud memineris, non eo animo hæc initio scripta fuisse, ut ederentur, sed ut memoriam inter docendum juvarent; nec quomodo quidque dicatur, sed quid dicatur, attendas.

AD EUMDEM, ET TYPOGRAPHOS,
DE RECOGNITIONE HUIUS OPERIS,

AUCTORIS ADMONITIO

Cum inter legendum libros Controversiarum mearum, subinde incidere in aliqua errata non levis momenti : operæ pretium me facturum existimavi, si occasione ejusmodi errorum Opus meum ipse perlegerem, et castigarem, nec solum menda, quæ irreperant auferrem, sed etiam pro jure, quod unusquisque in proprios partus habet, quædam nonnullis in locis adderem, pauca quoque detraberem, vel mutarem. Id ita feci, ut disputationes ipsas, vel locupletiores, vel clariores, adeoque meliores effectas esse plane confidam. Quare Typographos, qui forte libros hos meos (1), (cum legitima tamen facultate) recudent, hortor, et oro, ut juxta hanc editionem diligenter fideliterque recudent. (2)

(1) Hanc editionem, ab auctore commendatam, iterum atque iterum typis mandamus.

(2) Præter correctæ et addita in Recognitione librorum Rob. Bellarmini, plura sunt, in editione Veneta, superaddita, quæ opportunius controversiarum textui inserentur.

PRÆFATIO

ROBERTI BELLARMINI

SOCIETATIS JESU,

IN DISPUTATIONES DE CONTROVERSIIS CHRISTIANÆ FIDEI
ADVERSUS HUIUS TEMPORIS HÆRETICOS

HABITA IN GYMNASIO ROMANO ANNO MDLXXVI.

Aggredior de Controversiis Fidei adversus omnes hujus temporis hæreticos disputare, et quæstiones plurimas, ac diversissimas, in unum quasi locum cogere, et tanquam unius corporis membra, pro viribus, quas Deus e cælo suppeditare dignabitur, singula quæque complecti. Arduum sane opus, et certe, mea quidem sententia, ejusmodi, ut si non leviter, et perfunctorie, sed accurate, ac ut rei dignitas, et difficultas exigit, tractandum sit : scientiam prope infinitam, non modo variarum disciplinarum, et linguarum, sed etiam totius antiquitatis omnium historiarum, et temporum requirat : Quæ omnia cum ipse sentiam in me, quam sint exigua, et tamen onus mihi impositum sustinere, ac perferre, necesse sit : enitar saltem ingenii tarditatem, labore, ac diligentia compensare ; atque id efficere, ut quando cætera omnia doctrinæ præsidia, atque adjumenta nobis desint, studium certe, et industria minime desiderentur.

Sed antequam de propositis quæstionibus disputare incipiam, pauca quædam dicenda mihi esse videntur de utilitate ejusmodi disputationum : deinde exponendum breviter, quæ sint, et quot hujus temporis controversiæ.

Ac utilitas quidem propositarum nobis disputationum ex eo intelligi acile potest, quod meliorem, ac magis necessariam totius Theologiæ par-

tem comprehendunt. Agendum est enim non de stillicidiis et fundis, non de rebus levibus, quæ parum refert, utrum sic an aliter se habeant: non de Metaphysicis subtilitatibus, quæ sine periculo ignorari, et interdum etiam cum laude oppugnari possunt: sed de Deo, de Christo, de Ecclesia, de Sacramentis, de justificatione, de auxilio gratiæ, de arbitrii libertate, deque aliis permultis gravissimis, et difficillimis questionibus, quæ ad ipsa fidei pertinent fundamenta; quorum si vel unum quis labefactare disputando velit, ut Sanctus Augustinus libro primo contra Julianum, capite secundo sapienter monuit, totum quod in Christum credimus, is auferat necesse est. Deinde hæreticos homines, ad lumen fidei revocare, vel saltem impetum eorum, et furorem frangere, ab ovili Dominico feras illas arcere, Ecclesiam Christi protegere, et jam captas oviculas, de faucibus luporum eruere, et in caulas Domini restituere: quanta, quæso, utilitas est, quam vera causa lætitiæ, quam copiosa gloriæ seges? At nihil horum unquam efficiet, qui non prius in his questionibus diu, et multum versatus, cum ipse se armis Ecclesiæ diligenter instruxerit, tum hostium tela repellere, atque in ipsos hostes retorquere didicerit.

Ac ne forte aliquibus minus nostra probetur oratio, quod pestem hæreseos esse judicent leviolem, quam revera sit, cum eam ex communibus vitiiis, et peccatis forte metiantur, quæ quotidie per Sacramentum poenitentiae purgari, sanarique animadvertunt: dicam de gravitate hæreseos non omnia, quæ dici possent, nec etiam plurima, ne immensam orationem suscipiam, sed pauca tantum, quæ cum necessaria esse, tum etiam sufficere hoc loco posse videantur.

Omittam enim quod S. Joannes Chrysostomus, homilia ad populum Antiochenum 30, et S. Augustinus Lib. XXI. Cap. 25, de Civitate Dei, hæreticum hominem longe pejorem Ethnicis, et Publicanis faciunt: non commemorabo, quod, ut procellæ ventorum maria commovere, et perturbare solent, sic hæresis, quam regionem invaserit, mox in ea tumultus, prælia, seditiones excitat: tacebo, quod majores nostri, cum in aliis persecutionibus, tranquillo animo hostem expectarent; tamen bello fidei ingruente, ita animis omnes commovebantur, ut non sibi satisfacerent, nisi universas Ecclesiæ vires colligerent, et tanquam communi classico evocati, omnes una ad resistendum occurrerent. Alia vitia ut depellerent, nemo de sua statione discedebat: hæresim ut propulsarent, domos, ac provincias suas deserere, et ignotas, ac longe positas regiones, cum maximo rerum et vitæ discrimine, adire non dubitabant. Alia prope infinita libenter patiar sileri, quæ me tamen aliqui mediocriter juvent. Hoc unum dicam, hæreseos perversitatem tanto esse graviolem cæteris omni-

bus sceleribus, atque flagitiis: quanto communibus morbis magis est formidolosa, et metuenda pestis.

Duo sunt, quæ pestem præ cæteris morbis merito horrendam, terribilemque efficiunt. Unum, quod summa velocitate venenum suum ad cor usque diffundit, et hominem, paulo ante sanum, pene in momento temporis extinguit: Alterum, quod cum unum interficit, centum alios inficit, et longe, lateque tam celeriter serpit, ut si hodie domum unam invaserit, brevi civitatem totam cadaveribus repleat.

Id ipsum omnino est in animis, hæresis; quod in corporibus, pestis. Primum gratiæ munus, quod a Patre cælesti in conversione, ac justificatione recipimus, primus cordis reviviscentis motus, primus vitæ spiritualis sensus, absque ulla controversia, et dubitatione, fides est: inde paulatim postea ad sperandum animus excitatur, ad amandum voluntas accenditur, lingua solvitur ad confessionem, manus expediuntur ad opera. Cum igitur hæresis cor ipsum animæ continuo petat, et in eripiendis numeribus gratiæ ad primum usque deveniat, et initium illud vitæ divinæ, atque cælestis extinguat: quæ lues hæresi perniciosior, ac pestilentior cogitari potest?

Primum ædificii spiritualis fundamentum, omnium confessione, ac sententia, fides est. Inde enim spei parietes paulatim consurgunt, tectum caritatis extenditur, ac demum varia multipliciaque operum bonorum ornamenta accedunt. Domus Dei, inquit S. Augustinus serm. 22, de verbis Apostoli, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur: quando igitur in hujus ædificii concussionem, et motum, non in tecto, non in parietibus sistitur, sed usque ad ultima fundamenta effodienda, ac evertenda, quod facit hæresis, pervenitur: quanta, quæso, est illa ruina? quanta jactura? quid tunc remanet spei, quando nulla pars ædificii reliqua est, sed totum simul uno impetu funditus corrui? Primus lucis divinæ radius, quem in cordibus nostris ille accendit, qui nos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, quid aliud est quam fides? inde enim, quasi ab aurora incipiens, lumen justorum procedit, et crescit, ut Sapiens ait, usque ad perfectam diem.

Cum igitur hæresis menti humanæ subito diem eripiat, et ne illum quidem primum auroræ fulgorem accensum relinquat: quid hæresi horribilius, miserius, funestius? Dicam hæc ipsa planius. Si Catholicus quispiam labitur in peccatum, si furtum, si adulterium, si homicidium forte committit: misere certe cum illo agitur. At nihilominus quoniam adhuc aliquis vitæ sensus, adhuc ædificii fundamentum, adhuc lumen auroræ, id est fides, in ipso est: multa, et magna præsidia ad salutem

æternam habet, non ambulat in tenebris, novit medicum suum, potest adhuc ex fide, quam habet, ad Deum clamare, super fundamentum ædificare, communem liberatorem appellare, clementiam ejus, et misericordiam implorare; neque deest illi maternus Ecclesie sinus, et patent quoque officinæ omnes spiritualium pharmacorum. At homo hæreticus nihil horum habet, sed extincto in corde ipsius lumine fidei, umbras inanes, et phantasmata consecatur; nescit quo vadat, et quo magis currit, eo longius a via recedit, et tenebris densioribus semper involvitur, donec a tenebris interioribus, quas in animo patitur, ad exteriores illas, quæ sunt in gehenna, perveniat. Neque vero hæc amplificatio est, sed extenuatio potius.

An tibi tenebræ densissimæ, atque palpabiles non videntur iis esse offusæ, qui cum sapientissimi omnium hominum videri velint, tamen ea dicunt interdum, ea proferunt in medium, ea pro Evangelio venditant, quæ somnia, ac deliramenta esse, pueri quoque, atque anus etiam decrepitæ intelligerent? quid magis impium, ac stultum fingi potest quam Deum, qui fons est bonitatis et justitiæ auctorem, omnium scelerum, et flagitiorum facere? At hoc facit Petrus Martyr in commentario libri secundi Regum, nec non Joannes Calvinus in lib. *Instit.* 1. cap. 48. §. 4.

Quid magis puerile, et ineptum, quam dicere Deum in lapide, vere, et proprie esse lapidem; in ferro, ferum; in trunco, truncum; in stipite, stipitem; in rebus omnibus, res omnes? at hoc docet Michael Servetus in epistola sexta ad Calvinum. Quid magis absurdum, et contra omnem non solum rationem, sed etiam sensum, quam palam asserere, infantes dum baptizantur, exemplo S. Joannis Baptistæ divinas quasdam motiones internis sensibus percipere, promissiones Evangelicas audire, et promittenti Deo fidem habere? At hoc palam asserit Martinus Lutherus, in commentario tertii capitis epistolæ ad Galatas, et qui eum secuti sunt Centuriatores, Centuriæ II. cap. 4. nec saltem reverentur S. Augustinum, qui in epist. ad Dardanum, quæst. 2. scriptum reliquit. Si propter unum Joannem credibile est infantes omnes ante ætatem consilio, et ratione uti: et propter Asinam Balaam, quæ sapienter aliquando locuta est, admonendos esse homines, in deliberationibus suis Asinina expectare consilia.

Deinde, quis non obstupescat potuisse homines reperiri, qui sibi persuaderent, nihil aliud ad justificationem impiorum requiri, quam ut certo statuunt se esse justos, sibi remissa esse peccata; ut jam non opinio, a veritate rei, sed e contrario, rei veritas ab opinione dependeat; et tamen hoc ipsum incredibile paradoxum, est articulus quartus illius celeberrimi

mæ Augustanæ Confessionis, quæ pro Evangelio, est maximæ parti nostri temporis hæreticorum.

Quid jam de Joanne Wiclefo dicemus, cujus hic est articulus sextus, in Concilio Constantiensi damnatus Sess. VIII. «Deus debet obedire Diabolo? quid de Joanne Calvino, qui in lib. *Institutionis* II. cap. 16. tam serio, tam ex proposito docet, Dominum nostrum Jesum Christum, quod certe piæ aures audire recusant, cruciatus gehennæ cum damnatis, ac reprobis spiritibus aliquando pertulisse? unde etiam exiterunt postea qui dicerent, Christum in Cruce desperasse, atque adeo ad inferos esse damnatum. Quam tetra, putas, caligne tenebatur animus ille, qui tantam impietatem cogitare potuit?

Sed quo in loco ponemus Martini Lutheri verba illa, quæ is in libro de *Conciliis* scripta reliquit: «Mihi paulo ante negotium fuit cum Nestorianis, qui pertinacissime contra me disputabant, quod divinitas Christi non possit pati?»

En tibi, Christiane Lector, quibus non tam erroribus laborant, quam furoribus agitantur, quibus tenebris involvuntur, in quæ præcipitia ruunt, qui semel circa fidem naufragium fecerunt: Nec tamen attingere volui mysteria longe absurdiora Anabaptistarum, et Libertinorum. En quanto miraculo divisit Deus Israel ab Ægyptiis: ubi Israel, id est, Catholica Christi Ecclesia est, ibi lux est, ut omnes omnino a maximo usque ad minimum viam justitiæ, et veritatis agnoscant: ubi vero Ægyptii, id est, hæretici sunt, ibi tenebræ sunt horrendæ, atque palpabiles, ut etiam in ipsos humanos sensus frequenter incurrant.

Atque utinam soli sibi noceret hæreticus, et non continuo venenum suum longe, lateque diffunderet, sed verissime scriptum ab Apostolo esse, hæreticorum verba, ut cancrum serpere: testis est locupletissimus nostra hæc ætas. Quis enim ignorat pestem Lutheranam Saxonia paulo ante extortam, mox Germaniam pene totam occupasse; inde ad Aquilonem, et Orientem profectam; Daniam, Norwegiam, Suetiam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam absumpsisse; tum ad Occidentem, et Meridiem pari celeritate delatam, et Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna, brevi tempore populatam; ad extremum Alpes transcendisse, et in Italiam usque penetrasse?

Quæ cum ita sint, ut ii, qui peste laborant, ne cæteros inficiant, ab aliorum consortio merito excluduntur, et neque domos illorum ingredi, neque aliquid, quod ipsorum fuerit, contingere audeamus: sic etiam hæreticorum libros, congressus, colloquia, convivia, jam inde a primo Ecclesie ortu, sapientissimo consilio, fidelibus omnibus majorum nostrorum